



A 231  
7

Hist:  
III. C. 7.

am

37

DISSERTATIO PERIODICA  
EAQUE  
PHILOSOPHICO-THEOLOGICA  
DE  
EXISTENTIA GENII

QUAM  
SUB PRAESIDIO  
*VIRI SUMME REVERENDI*  
JOANNIS ISAACI LUDOVICI CAUSSE

S. S. THEOL. DOCT. EIUSDEMQUE P. P.

H    La    O<sub>2</sub>    C<sub>2</sub>

DEFENDENT

## A U C T O R

# AUGUSTUS ERNESTUS RENTHE

## COTHENIO-ANHALTINUS



A decorative horizontal border element consisting of a repeating pattern of small, stylized circles or dots connected by thin lines, creating a textured, woven-like appearance.

FRANCOFURTI AD VIADRUM d. April. MDCCCLIV.

TYPIS SIGISM. GABRIEL. ALEX.

AD 1700 1701 1702 1703

1704 1705

1706 1707 1708 1709 1710

1711 1712 1713 1714 1715

1716 1717 1718

1719 1720 1721 1722

1723 1724 1725 1726 1727

1728 1729 1730 1731 1732

1733 1734 1735 1736 1737

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO  
DOMINO  
AUGUSTO LUDOVICO  
PRINCIPI ANHALTINORUM  
SENIOR  
DUCI SAXONIAE, ANGRIAЕ, WESTPHALIAE, CO-  
MITI ASCANIAE, DOMINO BERNBURGI  
ET SERVESTAE &c. &c. &c.  
NEC NON  
POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS LEGATO  
APUD EXERCITUM EMINENTISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO MEO LONGE  
CLEMENTISSIMO  
HAS  
QUALESCUNQUE PAGELLAS  
TANQUAM  
DEBITUM MENTIS GRATISSIMAE AC DEVOTIS-  
SIMAE MONUMENTUM CONSECRAT  
ET  
INDULGENTISSIMAE IPSIUS CLEMENTIAE SE  
SUAQUE STUDIA EA QUA PAR EST ANIMI  
DEVOTIONE AC REVERENTIA  
COMMENDAT

SUBJECTISSIMUS  
AUGUSTUS ERNESTUS  
RENTHE.



PARS PRIMA  
PROBATIO THEMATIS PHILOSOPHICA.

§. I.

 Antequam ad probationem Thematis ipsam nos accingamus, pauca, quæ in subsequentibus nostro instituto inservient, præmittere operæ pretium duximus. Ut vero a definitiōnibus exordium capiamus, per Angelum in genere intellegimus spiritum superiorem finitum. Spiritus superior finitus & felix est bonus, infelix vero malus angelus; ille Agathodæmon; hic vero Cacodæmon recte dicitur Met. §. 796. Quumque spiritus *superior* ille vocetur, qui maiori intellectus gradu essentiali praeditus est, quam qui est hominis Met. §. 796. boni angeli habent gradum intellectus essentialiter maiorem, quam qui est hominum.

§. II.

Angelos, quos iam §. I. designavimus, bonos bona potius actuare moralia stricte sic dicta, quam mala stricte moralia met. §. 787. in dubium vocari non potest. Si enim angelorum bonorum definitionem §. I. animo perpendamus attento, eos, nonsolum miro quodam bona moralia stricte sic dicta actuandi habitu, sedetiam præ-

A 3

Metaphysices compendium, ad quod sepius provocabo, est Celeb. BAUM<sup>do</sup>GARTENII ad cinceres usque mihi devenerandi.

dominio voluptatis ex bonis moralibus exorto gaudere intelligimus, quæ quidem asserti nostri oppositum hypotheticæ impossibile reddunt §. i & met. §. 789. Accedit præterea, quod status subsequens hoc in mundo (in quo nullus eventus absque ulla ratione sufficiente proxima i. e. in quo nullus eventus absolutus datur met. §. 386. 387) ex præcedenti cognoscibilis sit. Hinc status maiorum realitatum præcedens subsequentis maiorum perfectionum status rationem in se habet; realitates enim, qua tales, modo ad realitates consentiunt, dum oppositi simulationem involvere non possunt Met. §. 140. Ergo & ex statu angelorum præcedenti, qui maioribus realitatibus coniunctus est, similis status subsequens est cognoscibilis, id quod denuo asserti nostri veritatem evincere ac stabilire potest.

Ex his elucet angelorum bonorum præstantia, quæ maiori in luce collocabitur, si fidem rationi sanæ iungas. Hos igitur secuti dices, licebit nobis per bonos angelos spiritus finitos optimos intelligere cf. loca Matth. XVIII. 10. Ebr. I. 4. Ies. VI. 2. 3. Dan. VII. 10. Ebr. XII. 22. 23.

### §. III.

Mundus hic, qui dicitur & revera est optimus maximus, Met. §. 437. 935. 436, non requirit solum partes tot simultaneas, tot successivas, tantas, quot & quantæ in mundo sunt optimo comparsimiles; sed & earum, quæ summam ipsius perfectionem præ ceteris ipsius partibus promovent, plurimas simultaneas, successivas & maximas, quæ sunt partes mundi extensive protensive & intensive maximæ, quæ quidem non possunt non esse spiritus, quos ob naturæ suæ, qua prædicti sunt, præstantiam, partes mundi principes dicere non veremur. Sublata hac veritate, tollitur mundus optimus, quædam enim perfectio desiceret comparsimilis; dum partes minus perfectæ, perfectiores numero superarent. Iam si spectamus spiritus non æqualiter mundum optimum aduantes, erit eorum quædam species, quæ præ ceteris maxime extensive, maxime protensive & intensive ad mundi huius perfectionem conferat summam, quorum & spirituum numerus ceteras eorum species singulatim spectatas exsuperet necesse est: qui quum iure boni dicantur angeli §. 3. 1. angeli boni semper sunt reliquorum spirituum numerosissimi. Dan. VII. 10. Ebr. XII. 22. 23. Id argumentum magnum accipit robur, si ipsi iungitur illud ab ultimo creationis fine desumptum, quod brevitatis causa præterimus.

### §. IV.

## §. IV.

Angeli boni, partes huius optimi mundi actuales §. 3. & 1. cf. Met. 354. sunt in nexu universalis maximo, qui possibilis est, cum ceteris mundi optimi partibus Met. §. 357. 441. Nexus spirituum alicuius mundi inter se, est *Pneumaticus*, qui, quem sit in mundo universalis maximus, qui est in mundo compossibilis Met. 403. & 441; angeli boni spiritus §. 1. cum ceteris mundi optimi spiritibus in nexus universalis, qui compossibilis est, sunt maximo, ac singuli angeli boni singulis sunt conexi spiritibus, adeo, ut quo cunque respectu tanquam spiritus illi considerentur, cum certis spiritibus conexi deprehendi possint. Hinc & cum hominibus in nexus sunt constituti. Inter spiritus vero partem quan- dam mundi optimi constituentes, religionem, creationis ultimum finem, ad unum omnes promoventes ac fibimet ipsis similiores, quam aliis rebus creatis, quem sit maior nexus, quam quem cum ceteris mundi partibus habent, qui universalis maximus in antec. probatur; omnes spiritus inter seipso habent nexus maiorem universalem. Hinc & boni angeli cum hominibus in nexus sunt maiori. Nexus maior est *Harmonia*, ergo uti inter singulos spiritus, sic & inter angelos bonos & homines obtinet *Harmonia* Met. §. 167.

## §. V.

Angeli boni & homines, singuli spiritus, sunt substantiae extra se positas Met. §. 402. 404. omnes substantiae, vires que sunt strictius dictae Met. §. 197. 199. dum mutuo in se agunt, in se influunt Met. §. 211. & 408. Ergo angeli boni & homines in se mutuo influunt. Inter angelos bonos & homines in se mutuo influentes est *Harmonia* §. 4. *Harmonia* substantiarum in se mutuo influentium est earum *commercium* Met. §. 448. Ergo inter angelos bonos singulos & homines commercium occurrit.

## §. VI.

Omnis influxus est actio §. 5. Met. §. 211. hinc omnis influxus est actuatio accidentis in aliquo per vim substantiae Met. §. 210. Ergo substantia est ratio accidentis alicui inherenteris §. 5. Ratio A alicuius B, a quo dependet C, est huius C ratio mediata seu remota Met. §. 37. ratio non mediata est proxima seu immediana. Ratio inter remotas a proxima ratione minus remota, est ratio *propior*. Si igitur substantia est ratio accidentis inherenteris *propior*, *propius*; Si proxima, *proxime* influit. Ratio inter remotas maxime a proxima ratione

ratione remota, est *remotissima*; & ratio non propior, est *remotior*. Si igitur substantia est ratio accidentis inhärentis non propior, influit *remotius*. Substantia paucissima in aliquo actuans accidentia *minime omnium* influit. Oppositum influxus frequentioris & frequentissimi est influxus *rarior* & *rarissimus*. Quibus breviter præmisſis, assumto Met. §. 272. facile patebit, angelos bonos & homines, quum plurium extra se invicem actualium influxus aequalis esse non posse, sed potius gradus supra evolutos admittat, in se mutuo aequali gradu influere non posse. Ex quibus quidem necessario sequitur, angelos bonos singulos in alios homines remotius parcusque, in alios proprius & saepius, in quosdam denique tantum proxime saepissimeque influere. Mutuus influxus parit commercium §. 5. Influxus propior ac frequentior *arctius* conficit commercium, influxus vero frequentissimus ac proximus, commercium *arctissimum*. Ergo angelorum bonorum maximo numero existentium §. 3. quidam cum hominibus quibusdam sunt in laxiori ac remissiori, cum aliis in arctiori, & quidam eorum denique cum quibusdam in commercio sunt positi *arctissimo*, & unusquisque existentium hominum cum angelo quodam bono in commercio est *arctissimum*.

Ne verba, quæ nunc de commercio angelii cum homine fecimus *arctissimo*, sensu accipiuntur *præpostero*, vel a malis saltē interpretibus in eum facilis detorqueantur, paucis tantum mentem paullo uberior aperire ab instituto nostro non adeo alienum putamus. Commercium istud vocamus *arctissimum* non quidem quod absolute tale dici queat; sed quoniam, si ad alia referatur, talem denominationem iure merito sibi vindicat. *Arctissimum* est ex parte hominis & angelii si spectatur. Nullus enim angelas fixo ac determinato iam tempore cum determinato & prefinito homine in proprii vivit coniunctione, quam denominatus iam angelus bonus, & vice versa nullus homo cum angelo determinato iam in nexu arctiori versatur, quam determinatus. Quod vero commercium, quamquam hoc respectu recte dicatur *arctissimum*; respectu tamen ceterorum commerciorum, quæ inter unumquemque angelum hominemque sibi creditum existant, gradus suos habere ambabus concedimus.

### §. VII.

Commercium angelii boni cum homine *arctissimum* cognoscibile esse ex influxu proximo patet ex §. 6. Ex respectu vero, qui angelorum bonorum ac hominum coniunctione determinatur, cognoscibilis est influxus, ergo ex respectu iam descripto commercium angelii & hominis cognoscibile est *arctissimum* & angelus bonus agit ex illo respectu. Respectus entis ex coniunctione eius cum aliis determinatus

natus dicitur *Positus*; ergo angeli boni pro positu suo agunt, & commercium ipsorum cum homine arctissimum, ex positu, quem erga hominem habent, est cognoscibile.

## §. VIII.

Angelus bonus, qui in commercio quodam cum homine constitutus est arctissimo §. 6. in illum & pro positu suo magis, quam in alios agit §. 7. hinc ipsius præ primis clarius ac distinctius repræsentat perfectiones & imperfectiones. Angelus bonus, cuiusdam hominis perfectiones & imperfectiones magis quam aliorum cognoscens, non gaudet solum essentiali maiori intellectus §. 1. & per conseq. libertatis gradu; sed & hisce dotibus, quibus mirifice splendet, ita utitur, ut convenit naturæ sue præstantiori & cognitioni, quam de objecti sui, quod sibi repræsentat, natura habet, optimæ. cf. §. 2. Magis ergo naturæ sue rationi consentaneum est bona potius actuare quam mala, & quidem tot & tanta, quot & quanta per suamæque ac objecti sui naturam sunt possibilia §. 2. Tot tantasque igitur actuabit perfectiones, quot & quantæ sunt compossibilis, adeoque tot ac tantas imperfectiones in homine cum quo arctiori iungitur vinculo, inveniendas diminuet & ab eo removebit, quot & quantæ id patiuntur. Angelus igitur bonus, quo in arctiori cum homine est commercio, eo plura eoque maiora bona actuabit in illo compossibilia, & qui in arctissimo cum homine positus est commercio, in homine illo actuabit, plurimas maximas, quæ modo sunt compossibilis, perfectiones; hinc plurima ac maxima mala removebit; & plurima bona ac maxima ponet compossibilia.

## §. IX.

Qui angelus bonus plurimas maximas in me nunc ponit perfectiones compossibilis, ille *meus Genius* est. Quum vero angelorum bonorum ille, qui plurimas maximas in me nunc ponit perfectiones, in commercio mecum sit arctissimo, & omnes homines semper quodam cum bono angelo in commercio degant, quo arctius hypothetice impossibile est §. 6. singulos hominum suum genium habere patet.

Quæ de commercio, quod homini cum angelo intercedit arctissimo, monimus, nunc etiam de actuacione perfectionum plurimarum & maximarum, quæ definitionem Genii tanquam nota & character ipsius ingressa est, observamus; actuacionem nempe perfectionum plurimarum maximarum æque ac commercium arctissimum §. 6. non absolute sed relative talem dici posse. Ceterum quivis vel me non monente animadverteret, in tanta rerum copia multa a me brevitatibus causis prætermissa esse, quæ alias disquisitione utleriori haud indigna videntur.


## PROBATIO THEMATIS THEOLOGICA.

## §. X.

Postquam Genii existentiam, principia philosophica secuti, in antecedentibus probare conati sumus; placitis philosophorum nunc paulo sepositis, huius doctrinæ vestigia in oraculis divinis querere, nobis proposuimus. Mirum quidem id bene multis videbitur, qui nihil prorsus præsidii hanc nostram opinionem in facris litteris invenire putant. Etsi vero de Genio expressis verbis nihil doceant sacras litteræ, non tamen inde firmum contra Genii existentiam peti potest argumentum. Quid? quod hæc doctrina per consequentias legitime institutas ex facris Pandæstis fluere videtur. Potuit sane revelationis auctor hanc multis hodie exosam doctrinam optimo iure præterire, tum quod ea trita, satis nota omnibusque fere tunc temporis probata fuerit; tum etiam quod ad nostram felicitatem aeternam, cuius tamen promovende causa data fuit revelatio, proprius non faciat. Neque nostra sententiae nocere potest, quod ea gentibus quodammodo in deliciis fuerit, eorumque suffragia tulerit. Præterquam enim quod omnes errores, quibus hanc doctrinam gentiles obnubilarunt, quique eam multis reddunt suspectam, sedulo ab opinione nostra arcemus non omnia, quæ soverunt gentiles dogmata absque ullo discrimine ex veritatum civitate eliminanda arbitramur, utpote quæ nonnunquam ex divino revelationis fonte orta, quasdam divinæ veritatis reliquias, innumeris proh dolor! corruptelis mixtas fervarunt. Quis denique opinionem, ea, quæ sacra scriptura de angelis tradit, non tantum ponentem, sed & ad amissim quoque divinæ revelationis evoluentem profanam salutare audebit? Observamus tandem hanc nostram sententiam non oppositam esse doctrinæ S. S. quæ clare innuit, plures angelos nonnunquam uni homini Ps. XCII. 11, 2. Reg. VI. 16. 17. unum angelum interdum pluribus hominibus Dan. XII. Luc. I. 9. imo plures angelos pluribus hominibus communem praestare operam Matth. XVIII. 10. Nam salva nostra hypothesi unus angelus plures potest habere, quibus operam suam navat, licet unius tantum sit angelus tutelaris seu Genius. Salva eadem hypothesi unius vel plurium hominum curam plures suscipere possunt angeli cf. §. 9.

## §. XI.

Scopo nostro in primis inservire videtur servatoris nostri effatum



tum notatu dignissimum, quod *Cap. XVIII.* 10. divus consignavit *Mateus*, quo luculentissimis verbis Christus docet, *parvolorum Angelos videre faciem patris sui, qui est in celis*. Ea modo jam consideratur, quæ ad finem nostrum proxime attinent, nobis hic id negotii non dabitur, ut integrum hunc locum ad minutissima quæque evolvamus, singulas ipsius, quas complectitur, partes, fuse exponamus singulorumque verborum vim indicemus.

#### §. XII.

Interpretes, qui mentis suæ in hunc locum cogitata nobis fusius patefecerunt, non ad unum omnes in eo consentiunt, quinam ii sint, de quibus hoc in commate sermo est, quique pusillorum nomine hic insigniuntur. Ubi determinanda est vis vocis *μωρῶν*, cuncti fere in diversas abeunt partes. Hi parvulos, de quibus Christus loquitur, eos, qui per fidem haud fucatam vitam suam Christo consecrant, esse volunt; illi sub parvolorum notione infantes naturales, quorum in antecedentibus fit mentio, intelligi volunt; alii tandem & fideles & infantes naturales sub hac voce simul comprehendunt. Cum igitur tota interpretem super hoc loco existent discrimina, Lectorem Benevolum non aegre laturum speramus, si paullulum operæ ac studii huic disquisitioni nos impendisse observaverit.

#### §. XIII.

Nos per *Parvulos*, de quibus hoc in versu sermo est, non solum infantes naturales, sed & supernaturales intelligimus. Primo respectu Parvuli sunt ii, qui intellectus sui usu nondum gaudent acquisito, qui intellectum suum nondum ita exercuerunt, ut distinctas perceptiones actuandi habitum sibi comparaverint, qui paucos modo annos nati ad tantam nondum excreverunt molem, quantam apud adultiores, in quibus a consueta & fixa lege non deflexit natura, conspicere licet. Hi viribus ad vitam secure beateque his in terris transfigendam necessariis carent. Nesciunt hi parvuli vitæ suæ cursum gubernare, suis consulere usibus & ad ea quæ ipsorum felicitatem promovent, respicere.

#### §. XIV.

Secundo respectu *Parvuli*, de quibus Christus hoc loco loquitur, sunt ii, qui regnum cœlorum intraturi ad masculam & firmam nondum pervenire fidem. Hi quidem Christum tanquam sospitatorem suum

suum sincera mente colunt; ipsique quantum per vires licet, indefesso studio adhærent, deque ipsius conservando ac magis sibi conciliando favore solliciti sunt, quamquam tamen adhuc infirmitatibus celerem in vita divina progressum valde morantibus laborent. Quodsi graviores sublimioresque Religionis Christianæ doctrinas animo volvunt, vexatissimis crebro distrahitur scrupulis. Rerum mundanarum illecebris circumdati, pro cognitione vere honorum limitibus nimis angustis circumscripta, alege, cuius tamen nutui diligenter morem gerere deberent, deflestant. Hi parvuli angustiis vel temporalibus vel spiritualibus si premuntur, animum timide abiciunt atque de salute sua facile desperant. His quidem infirmitatibus obnoxii, non tamen omni virtutis ornamento carent. Quid? quod suis etiam fulgere eos videmus decoribus, si frequens humilitatis exercitium, si amoris, quo summum suæ felicitatis auctorem, aliosque homines amplectuntur, candorem, si innocentiam eorum, si denique intemeratam cordis sinceritatem oculis spectemus attentis. Atque hæc sunt, quæ tales homines puerorum similes reddunt, quippe qui a superbia, fraude aliisque vitiis adhuc remoti sunt. Huius generis homines aequæ ac pueros pusillos, quorum Christus commatae huius Capitis secundo mentionem fecit, eorum ordini adnumerandos esse putamus, quorum angeli, teste summo nostro Propheta, faciem Patris coelestis vident.

## §. XV.

Ast sunt haud pauci, qui sententiae nostræ nunc expositæ reclamant nullaque ratione adduci possunt, ut ipsi calculum suum adhiant; dum in commate hoc de pueris naturalibus sermonem prorsus non esse, argumentis omni fere exceptione maioribus proclari posse, sibi persuadent. Concedunt quidem Christum puerum quendam naturalem in medio discipulorum inter se de primatu litigantium collocandum accersivisse, eumque tanquam imitatu dignum exemplum ob oculos auditorum posuisse, ut admonitioni dissociatis animis altius imprimendæ ac inculcandæ eo maius pondus eoque maiorem vivitatem adderet. Quamvis vero hæc concedant, volunt tamen verba, quæ Christus versibus 5 & 6to præcipue fecit, potius ad illos vergere, qui in statum supernaturalem transgressi puerorum naturalium similes sunt, taliaque continere prædicata, quæ ad puerorum naturalium indolem applicari non possunt. Num, inquit, qui puerum naturalem suscipit in nomine Iesu, Iesum ipsum suscipit? an præ-

præterea pueris naturalibus fides adscribi potest? num iidem offendiculis & scandalis obnoxii sunt? His ita prolatis concludunt, prædicata hæc pueris moralibus potius quam naturalibus convenire, adeoque per verba: τὸν μηρὸν τούτῳ: versu decimo contenta pueros spirituales, de quibus in antecedentibus locutus erat Christus, filios intelligendos esse. Hæc sunt difficultates, quas nobis propositas, simul cum suis rationibus, candide exponere debuimus.

## §. XVI.

Sententiam, quam §. 15. nostræ contrariam exposuimus, magnam veritatis præ se ferre speciem non negamus. Hanc etiam obcausam eam accuratius examinare, omnia, quibus obnoxia est, incommoda detegere simulque nostræ opinionis rationes reddere, nunc conabimur. Fatemur equidem nos eam, quam dedimus interpretationem, aliis debere; hoc tamen non obstitit, quo minus eam ulteriori meditatione nobis vindicaverimus. Quum vero hanc interpretationem cum multis habeamus communem, nos non soli eius defensionem suscipimus; sed & militant pro ea fortissime, quotquot unquam nostram sententiam amplexi sunt viri in hoc litterarum genere veritassimi. Quamquam autem magna horum virorum celebritas ac fama multum ponderis nostræ addat sententiae illique favorem conciliare possit, non tamen omnibus omni ex parte satisfacturos nos esse intelligimus, nisi addantur rationes, quæ aequos iudices in nostram sententiam pedibus ire cogant. Hæc cum ita sint, eos obsecramus, ut cogitent, nullam subtile rationem, quare conceptus puerorum naturalium hoc commate excludi debeat, cum prædicata, quæ in pueros cadere non posse contendunt, ipsis nullo modo repugnant, imo aliquo convenienter sensu.

## §. XVII.

Conceptum puerorum naturalium hoc loco non excludendum esse per singula eundo iam evincemus. Primum argumentum contra opinionem nostram petunt adversarii ex versu quinto, ubi Christus ait: qui suscepit puerulum talē unū in nomine meo, me suscipit: quærunt hic, qua ratione Christus tale quid de pueris naturalibus afflere potuerit, quum hoc prædicatum nulli alii conveniat, quam qui fidem ac fiduciam in Christo positam habet. Possemus speciosæ huius objectionis solutionem ob rationem ipsi adnexam ad subsequentem. §. dif-  
ferre; ne tamen & hoc loco illam prorsus intactam relinquamus, quæ-  
dam

dam nunc adiicere lubet, quæde eius vi non nihil detrahere possunt. Non certe a recto veritatis tramite aberrare nos arbitramur, dum affirmamus Christum hoc in versu non tantum de pueris spiritualibus, sed & de naturalibus loqui. Quum enim ii, in quos Christus orationem suam h.l. dirigit, multis aegrotarente præiudiciis, in primis vero nimia laborarent ambitione cf. v. i. quid nos impedit, quo minus credamus, sapientissimum doctorem, dum hoc prædicatum infantibus naturalibus tribuit, (quodque in eos cadere posse iam iam oftensuri fumus) vel ipsorum pusillorum pretium atque præstantiam adeoque & aestimium ipsi debitum inculcare voluisse. Plures etiam habemus prope idem iudicantes Interpretes, Christum scilicet cum de pusillis ætate, tum etiam de grandioribus loqui, qui, si eos ex morum simplicitate & candore aestimes, pusilli iure optimo dici possunt: appellantur nempe Metaphorice pueri, qui deposita altitudine se ad modestiam & humilitatem componunt. Quod autem ad id quod obiicitur, prædicatum scilicet hoc loco occurrentis infantibus non convenire, præcipue spestat, observandum est, verbum δικαιουας eiusmodi valoris esse, ut res significata & in pueris naturalibus egregie locum habere possit. In genere aliquem sufficere seu recipere denotat id, quod non unico modo fieri potest. Varia enim sunt beneficentiae genera, variaque humanitatis officia, que & amando & opibus succurrendo & bona persuadendo aliisque modis explentur & absolvuntur, quæque omnia receptionis conceptus complecti potest. Quid igitur, nonne talis receptionis infantes capaces sunt? nonne beneficiis variis exornari possunt? In primis egent manuductione, qua doctrinis ad salutem ducentibus imbuantur & virtutibus assuescant. Nihil igitur absurdum asteverare nos putamus, cum hæc verba vers: 5. contenta etiam de infantibus naturalibus intelligimus. Videtur Christus discipulis suis, quos ad gregem colligendum pascendumque destinaverat infantium amorem instillare voluisse, ne forte pusillorum curam negligerent. Non minima sane eorum curæ pars infantibus debetur, tum quia ipsorum est regnum cœlorum, tum etiam, quia non modo facilius est tenerorum infantium animos salutifera veritate imbuere, sed etiam, quia regnum Christi ex infantibus ab incunabulis bene educatis & ad virtutem præparatis magna sperare potest incrementa. Nulla igitur est ratio, cur de infantium salute minus, quam de adultorum prosperitate solliciti esse debeant Evangelii præcones. Huic etiam Christi præcepto morem gesisse discipulos eius non solum ex I. Joh. II. 14. sed etiam ex sacro Baptismatis lavacro,  
quod

quod infantibus iam in primitiva Ecclesia administratum fuisse credimus, patet.

### §. XVIII.

Secundus scrupulus, qui hic adversarios male habet, est, quod si vers: 6. de pueris naturalibus sermo esset, ipsis & fides tribueretur & scandalizari possent; ait enim Christus hoc loco: quisquis offendicula fuerit uni ex parvis istis, qui in me credunt, praefiterit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius ac demergatur in profundo maris &c. Varia sunt, quibus haec tela retundere possumus. Non negamus, certo sensu fidem infantibus tribui posse. Infantes enim aequae ac aetate grandiores per sacrum lavacrum in feedus gratiae recepti sunt, iique non minus in redemptionem pro humano genere a Christo factam quam in Adami peccatum consensu interpretando consensisse censentur. Quam ob rem & foederis gratiae beneficia, quæ in ipsis fidem adproprietam præsupponunt, iure ipsis imputantur. Nullum igitur est dubium, quin pueri ut credentes considerari possint. Non magis ipsis rō scandalizari repugnat. Experientia quippe satis affatim docet, infantes ad imitationem pronos, maiorum mores, sive sint boni sive mali, cœco sequi impetu. Quoties igitur infantes pravas aliorum imitantur actiones, toties eorundem pietatis promotioni impedimenta ponuntur; toties ergo scandalizantur. His ita præmissis, liceat nobis concludere & infantes naturales versu quinto & sexto non excludendos esse; quem autem versus decimus arctissimo nexu cum quinto & sexto iungatur, per parvos, quorum versu decimo fit mentio, connexionis lege, & naturales & spirituales intellegimus infantes, utpote qui subiecta erant versuum 5. & 6.

### §. XIX.

Explicato Subiecto nunc devenimus ad considerationem Prædicati, assit nempe Christus de pueris, quos §. §. praec. descripsimus, quod angelii eorum semper videant faciem patris sui, qui est incalitus. Notum est Interpretes hic in diversas abire sententias. Nonnulli hanc loquendi formulam videre faciem alicius ex procerum iure, qui regem liberius adire, contra eo stare, eo familiarius uti possunt, ortum suum trahere existimant. Secundum illos Christus his verbis prærogativam Angelorum, utpote qui felici Dei conspectu fruuntur atque in propiori eius communione

munione vivunt, effert. Quanquam hanc commentationem, quæ validis nititur rationibus magnamque verbis affundit lucem, non reiiciamus, in ea tamen non subsistimus. Alii Phrasin hanc *videre faciem DEi* ex locutionibus analogicis Luc. I, 19. Dan. VII, 10. 1. Reg. X, 8. occurrentibus recte illustrant, ita ut verbum נָרְאָה non solum simpliciter significet *videre* sed & diligentem alicuius rei rationem habere adeoque *faciem Dei videre* non solum per cognitionem summarum Dei perfectionum eiusque voluntatis, sed & per executionem ipsius sollicitam explicari debere. Nos eti quidem significationem vocum שְׁמָה & שְׁמַע vel נָרְאָה non fundamus; vocem נָרְאָה tamen conceptus hisce verbis adnexos complecti arbitramur, tum quia vox נָרְאָה, quæ verbo οὐτείνι apud Matthæum occurrenti respondet, non tantum simpliciter *videre*, sed & sedulam alicuius rei rationem habere, aliquando significat I. Sam. XVI, 7. tum etiam quod cognitione perfectionum divinarum in bonis angelis necessario promptitudinem ad sequenda Dei mandata sibi juncam habet. Docet igitur hoc loco Christus, nullum dari temporis spatium, in quo angeli gratiola summi Numinis præsentia careant. Ex quo uberrimo conceptu iure meritoque colligimus angelos non solum divinarum perfectionum cognitionem habere quam maxime accuratam, vividam, ardenter & intuitivam, non modo cogitationes eorum occupatas esse meditationibus rerum divinarum, Deumque eos ab aliis rebus distinguere eiusque beatissima frui communione; sed & voluntatem suam Deo & cognitioni, quam de ipso habent optime summo cum studio conformare atque ad ipsius mandata exequenda promtos paratissimosque esse.

## §. XX.

Hanc nostram interpretationem iis, qui significationem τοῦ *videre faciem DEi* nimis angustis circumscribunt cancellis haud probatum iri prævidemus. Illi inseparabila separantes in accuratori ac melioris notæ de Deo cognitione subsistunt: nos ulterius progredimur, atque cognitioni huic efficacem etiam Dei mandata exsequendi voluntatem subiungimus. Exponamus autem rationes, quibus hanc nostram sententiam superstruimus. Primam a scopo, quem servator habuit, dum pueris angelos faciem Dei aspicientes tribuit, defumimus. Christus hoc loco discipulos suos a superbia & pusillorum contemptu non solum revocat; sed & eos excitare studet, ut officia, quæ pusillis debent diligenter exsequantur, ut ex antec. versiculis id patet. Hunc in finem prærogativam puerorum commemorat, cum ait, angelos

๖๖ ) ० ( ๖๖

gelos eorum videre faciem Dei. Quæ vero ista puerorum esset prærogativa, si illum, qui angelis eorum tribuitur, statum de mera cognitione intelligeremus? Cognitio Dei, si mere speculativa ponatur, est perfectio cuius fructus cognoscendi subiecto propria est, & ad alios non transit. Num vero dices ex ampla rerum divinarum scientia, qua pusillorum angeli pollent, singularem pusillis provenire prærogativam? Quid iuvabit pusillos angelorum suorum accurata de Deo cognitio, si illa non ad ipsos quodammodo redundet? Si igitur de sola angelorum cognitione locutus esset Christus, scopo suo excidisset; dum ex eo, quod parvolorum angeli simplici Dei cognitione fruuntur, nulla illis accedit dignitas. Nemo non videt, Motivum, quo ad præstationem officiorum pusillis debitorum discipulos suos Christus obstringere volebat, omnem vim suam perdere, si per meram perfectionum divinarum contemplationem hic locus explicetur. Num homo, qui alterum aspernatur, ab eiusmodi contemtu abstinebit, si audiverit illum, quem despiciunt habet, patronum habere, qui principis perfectiones contempletur? Causam hanc levissimam esse putabit. Ponamus vero Patronum contemti hominis, non solum principis perfectiones cognoscere, sed & destinatum esse ad exsequenda principis mandata simulque ad promovendam alumni sui felicitatem; tunc certe has perpendens rationes hominem a se antea contemtum, aspernari desinet alter.

### §. XXI.

Fluit præterea nostra interpretatio ex ipso cognitionis illius, quam de Deo habent Angeli, consideratione. Christus enim cum ait, Angelos videre faciem Dei, illos cognitione Dei optima, naturæque suæ convenienti gaudere procul dubio innuit, adeoque ipsis cognitionem tribuit fructibus suis non destitutam. Quid igitur obstat, quo minus nobis Angelos repræsentemus tanquam spiritus ad voluntatem divinam exspectandam & peragendam non solum in genere paratissimos, sed & inspecie ad ea attendentes, quæ Deus circa salutem puerorum promovendam ipsis committit. Sententia, quam nunc expouimus, nec monstri quid alit, nec novitatem redolat; non paucos enim habemus interpres, quorum autoritate, si id opus esset, eam exornare possemus. Unicum modo adduxisse sufficiat Cameronem, qui recte monet, hic adhibitum fuisse Tropum, quo Consequens pro Antecedente ponitur, adeoque, ut videre Dei faciem, pro divinæ voluntatis


C

luntatis execuzione, speciatim vero pro pusillorum ministerio potum esse.

§. XXII.

Verba, quæ nunc enodavimus, sequentem fundere sensum arbitramur: omitt cura ac diligentia cavete, ne unum horum pusillorum contemnatis; angeli enim, quorum custodiae commissi sunt, Deo adstant, summo cum studio exspectantes, quæ sanctissima ipsius voluntas in primis circa eorum salutem peragè iubet. Possunt igitur munere suo rite fungentes pusillorum patrocinium suscipere, atque penas, quibus vos divina iustitia affligi iubebit, exsequi. Cogitate denique, quod minime vos deceat pusillos aspernari, cum vel angelis ipsi vobis tamen multo præstantiores, eos amore & ministerio suo non indignos censemant. Nostræ huic Paraphrasi non leve addet pondus, si ipsi variorum idem prope sentientium iungamus interpretationem. Audiamus v. g. HAMMONDUM, qui in Pharaophrasi sua ad hunc locum, ita commentatur: dico enim vobis angelos, quos Deus, eorum, in hisce terris, custodie præfecit, porporas redire posse in locum, in quo Deus gloriam suam patescit, maxima apud Deum gratia valeres semper accedere posse, ut in servorum meorum gratiam Deo supplicationes aut querelas offerre queant, & mandata ab eō eam in rem accipere; ac proinde eos, licet suo ipsorum, & mundi iudicio, despicabiles, non debere contemni aut negligi, eaque ratione a sancte vita instituto abducit ac deterret. Non minus nostram confirmat sententiam Synopsis Criticorum, quæ huius loci interpretationem pluribus Auctoriis concatenatam nobis sequentem in modum præbet: Angeli sunt apparatores & ministri Dei, parati ad ipsius nutum, Deo proximi & familiarissimi, semper exspectantes eius iussa de ipsis emitendis ad horum custodiam: liberrima facilitate summaque fiducia agunt cum Deo, ad eum referentes causas & res parvulorum, & accusantes apud Deum illos, a quibus iniuriam accipiunt, possuntque in contentores facile a Deo vindictam impetrare. Eadem fere ratione huius loci sensum IOACHIMUM IUSTUM BREITHAUPTIUM in Dissert. DE ANGELIS §. VI. evolvisse deprehendimus: si angelii inquit, illi sunt, quos neque pudet neque redet se se submittere ad imperium Iehovæ etiam minimis: cur id vos puderet? si item perspicuerint vestras actiones, & simul faciem Parris celestis: adhibe cautionem, ne cuiquam offendiculo sitis: angeli enim, si flagitium commiseritis, id in colis referent. Quam quidem commentatorem ingeniosam, quatenus veritati consentanea est, nostram facimus; reliqua vero, quæ non satis ponderata videntur, Auctori suo relinquimus.

§. XXIII.



## §. XXIII.

Dicimus ex hoc, quem nunc fuisus exposuimus loco, infantes suos habere angelos, quorum custodiæ traditi sunt. Nec difficile foret ex spirituum horum indole naturam illius custodiæ determinare. Hi angeli naturæ suæ convenienter agunt, omnesque suas actiones ad normam cognitionis, quam de Deo, eius voluntate ac fibibus sanctissimis sapientissimisque habent, instituant. Cum autem Deus felicitatem hominum intendat, & hi angeli a Deo hominum custodiæ destinati, eam, quantum in nexu fieri potest, promovere studebunt. Quæ nunc de natura huius angelorum custodiæ, tribus verbis, monui, propius quidem non faciunt ad probandam existentiam Genii; interim tamen sicco ea prorsus pede præterire nolui, quia hæ quasi primæ lineæ, argumentum hoc altius pervestigaturis occasionem præbere posunt tum angelorum in genere, tum in specie Genii officia erga homines accuratius evolvendi.

## §. XXIV.

Postquam itaque hoc Christi effatum exposuimus, ad metam nobis propositam accedimus, probaturi nempe, unumquemque hominum genium seu angelum tutelarem habere; cuius certe veritatis quædam vestigia hoc in loco invenimus, si modo illud Philosophis maxime comprobatum negatae totalis æqualitatis principium in auxilium vocare nobis licuerit. Ut vero eo melius viam ad hunc scopum muniamus, primo observandum est, hanc Christi propositionem universaliter aequipollere, adeoque Christum adfirmasse, omnes pueros angelorum custodiæ commissos esse. Secundo, aliis hominibus, ad aetatem proiectis adultiorem, angelorum patrocinium denegari non posse. Et si enim hoc loco Christus tantum de puerorum angelis verba faciat, nulla tamen est ratio, ob quam Deus paterno amore omnes amplexus homines, adultioribus beneficium, quod infantibus concessit, denegatum velit, cum hi tamen æque ac infantes illo egeant. Percurramus omnem, quamcumque cogitare licet aetatem. Incipiamus a puerili, progrediamur ad virilem, pergamus denique ad senilem aetatem, eas omnes angelorum indigere custodia animadvertissemus. Nullus est status, qui vitiis ac maculis non laboret, qui tam beatus tamque felix sit, ut malorum prorsus sit immunis. Nulla est hominum conditio, quæ non molestis difficultatibus ac variis periculis circumsepta sit. Hic optimo cum iure ad cuiusvis propriam experi-

experientiam provocare possumus. Quicunque in mentem revocabit procellas, quibus unquam iactatus est, simul etiam se convincet, nullam esse aetatem, quae non angelorum custodia indigeat. Quid? quod nemo sine temeritate negare poterit, providentiam divinam, vel angelorum opera, in iis occasionibus, ex quibus, licet viribus periculis imparibus, feliciter emersit, uti potuisse. Manu quasi ad cogitationem hanc nos dicit Paulus Apostolus, cum ad Ebraeos cap. I, 14. clarissimis doceat verbis, angelos esse spiritus sacrum functionem obeuntes, in ministerium missos propter eos, qui hereditatem capient salutis,

## §. XXV.

Qui vero fieri potest, ut ex hoc loco Genii unicuique hominem proprii existentia evincatur, cum Christus pusillos angelorum custodiæ traditos esse indefinite pronunciet; non vero adfirmet, unicuique parvolorum angelum tutelarem sigillatim datum esse? Omnes, quotquot nobis evolvere licuit Commentatores, id monent. Sed istum, quo nos petere contendunt, sequentem in modum eludimus. Quanquam concedimus parvulos in genere spectatos angelorum custodiæ commissos esse, necesse tamen est, per princ. negotiæ total. aequalitatis §. 6. 8. ut, cum pueri isti secundum ipsum Christi effatum cum angelis in nexus constituti sint simulque angeli reliquorum spirituum numerosissimi sint §. 3. unusquisque pusillorum certis angelis maiorem salutis ac securitatis suæ curam, quam aliis, uni vero angelo, curam illius cum multis aliis sustinenti, actuacionem plurimarum maximarum in ipso compositibilium perfectionum acceptam ferat. Si igitur unusquisque puerorum cum angelo quodam tale colit commercium, ut ex eo plurimæ maximæ perfectiones, quas angelus actuare potest, ad eum fluant, unusquisque pusillus habet Genium suum, cum quo respectu ceterorum in nexus vivit artissimo §. 9. Quum vero singuli pueri Genii sui patrocinio fruantur, adultorum autem status ratione indigentiae parum discrepet a puerili §. 24. nihil obstat, quo minus & adultos hoc beneficio, quo iam in pueritia sua ornati fuere, gaudere credamus. Nulla certe subest ratio, quæ dulci hoc mentis solamine nos orbare possit; præferim cum sacra scriptura non solum hanc doctrinam non reiiciat, sed & sanæ rationi, quæ Genii existentiam agnoscit, manum adiutricem porrigit, eam calculo suo comprobet.

Forte etiam quis non immerito ex eo, quod hi angelii a Christo expresse *Pusillorum angelos* (οἱ ἄγγελοι αὐτῶν) dicuntur, peculiare aliquod parrocnum, quo nos artissimum commercium vocamus, inferre poterit.

## §. XXVI

Ast fore nonnullos prævideo, qui ad probationem nunc prolatam infirmandam, cum cel. GROTIUS nobis obiciant, fluere quidem ex hoc loco dogma de angelis puerorum; sed inde ad veritatem ipsius nondum valere consequentiam. Servatorem nempe hic *argumentum ad hominem* confecisse, dum officio, quod discipulis iniungebat, motum ab errore, quem de Genio unicuique homini proprio cum multis aliis erabant, defunctum addiderit. Ne igitur illa ratione nobis decelle videamus, hanc quoque obiectionem diluemus. Totius obiectionis cardo & robur in eo veratur: num ratio hæc ab angelis defunta, qua Christus, officia parvulis præstanta, discipulis suis commendabat, ad *argumenta ad hominem* referri possit? Simpliciter hic ab adversariis probationem suæ hypotheseos poscere possemus, qua ratione ipsis sane obicem ponemus, cum non alio modo sententiam suam probare possint, quam ostendendo, doctrinam hanc de Genii existentia falsam esse, adeoque a Christo adoptari non potuisse; nos autem iam supra occupaverimus obiectionem, Genii existentiam ex lumine naturali probando. Malumus tamen ulterius progredi, & rationes addere, quæ adverfariorum sententiam labefactant. Si respiciamus ad Christi personam, ad officia adhortantis, ad ipsas in quibus Christus hæc locutas est circumstantias, ad magnam rei ipsius gravitatem, si denique ipsa Christi verba pensitemus, hæc omnia pro nobis militare animadvertemus. Erat illa veritas, quam Christus summus virtutum magister discipulis inculcaba, longe gravissima; præstatio præterea officiorum humilitatis & caritatis erga pueros homini naturaliter corrupto admodum erat difficultis; oppositum autem vitium admodum familiare, ita, ut non levius ponderis argumenta, ad eam inculcandam requirerentur. Ponamus ad tempus servatorem nostrum, ut scopum suum conserueret, errorem hunc, quo suos laborare non ignorabat, tanquam argumentum perfusorium in usum suum vertisse, quid quæ! num præstatio officii falsis superstructa principis ei fulgebit præstantia, quam Deus in virtutibus ipsi gratia acceptisque postulat? Et quanquam admittamus iam in præcedentibus vera a Christo adducta fuisse argumenta, negamus tamen, hisce veris Christum falli immiscere potuisse: argumenta enim priora ita sunt comparata, ut absque arguento eiusmodi falso completam convictionem parere potuerint, adeoque Christi adhortatio novo hoc argumento, si illorum illud fuisse, potius infirmata, quam confirmata fuisset. Certe summus ille Propheta, qui vi munericis sui, discipulos ab erroribus nocivis liberare fedelo studebat, scopo suo excidisset, dum eiusmodi falso motivo præconceptam eorum opinionem de angelis infantum confirmasset. Mirum præterea esset Christum & Apostolos nusquam hoc dogma tanquam erroneam hominum opinionem atro notasse carbone, cum tamen ipsi occasio hoc faciendi non defuerit. Si autem hoc fecisset, spiritus S. in revelatione litteris consignata occupatus, tale quid silentio non præteriisset, cum prævideret, id olim inflatum nociferum ad Religionem habiturum esse, foreque aliquando homines, qui huic hypothesis angelorum adorationem superstructuri essent. Cum igitur nusquam in S. litteris huic doctrinæ erroris nota incurratur, sed ea potius a Christo summo veritatis præcone admittatur, omni erroris macula eam recte absolvimus; Observamus tandem ultimo loco verba λέγω ὦντις a Christo præmissa, eorum, quæ iis subiungit, gravitatem & veritatem luculententer indicare. Non solum enim in exordio orationis suæ v. 3. Christus hac uititur phrasí: *Amen, dico vobis, nisi vos*

converteritis &c. sed eam v. 10. omissa tamen voce Amen; repetit: *Dico enim vobis, angelos eorum in celis per omne tempus intineri faciem patris mei, qui est in celis.* Haec autem formula non ipsius gravitatem & pondus veritatis sublequentis innuit & asseverationis locum tenet. Tantum igitur abest, ut argumentum ad hominem eiusmodi asseverationis formulam pati possit, ut potius eam nunquam a Christo adhibitam inveniamus, nisi rei proponendae gravitas attentionem poscat maiorem. Quando igitur Christus hoc loco dicit: *Ego dico vobis, idem est acsi dixisset: Ego, qui optimam naturae angelorum possideo cognitionem, cuique hanc ob causam maxima est habenda fides, ego dico vobis, Angelos pusillorum in celis per omne tempus intineri faciem patris mei, qui in celis est.*

## §. XXVII.

Hic tandem locus esset, iis, quæ ad probandam Genii existentiam adhuc perhibuimus, alia S. S. loca hoc argumentum illustrantia, quartundam questionum circa Genii indolem motarum solutionem, aliasrumque rerum ad Genituturam proprius spectantium explicacionem, historiam denique huius opinionis subiectandi. Sed libellorum Academicorum cancelli, quos & instituti nostri ratio & alia impedimenta transgredi vertant, filium meditationis hic abrumpere nos cogunt. Etsi quidem ferum latius imperfectum & mutilatum nunc edimus, multo tamen prædictissime putabimus, si sagacioribus ansam præbuerimus in hoc argumentum diligenter & felicius inquirendi. Deo autem ter optimo maximo, cuius auxilio hanc qualecumque confecimus opellam, sit laus & gloria in secula seculorum.

\*\*\*  
NOBILISSIMO DOCTISSIMO QUE  
HUJUS DISSERTATIONIS AUCTORI

S. P. D.

P R A E S E S.

**Q**uanquam libentius forte opposentis quam praefidis partes suscepissim, non potius tamen, Relpondens Nobilissime, hic in occasione Tibi deesse, propter amicitiam, quæ mihi Tecum intercedit & quæ prouul dubio efficit, ut me Tuꝝ moderatorem Disputationis elegeris Studiorum Tuorum redditurus rationem ipse Tibi argumentum, in quo virium Tuarum periculum faceres, elegisti; folios etiam in confribenda commentacione elaborasti. Etsi quidem non per omnia Tecum, hoc in arguento, eadem sentiam, nolui tamen meditationum Tuarum filium accessionibus vel lituris meis turbare, primum quia non cum tyrone mihi res erat, tuque cogitata Tua, innoxia certe nonnullisque nostrarium probata, dextere satis defenderes, deinde ut majorem profectuum Tuorum fidem facerem, tum denique quia in hocce academico specimine modo stanina primasque maioris ab industria Tua olim expectandi operis lineas duxisti. Has obcautas scriptum Tuum, propositis tamen iis, quæ sententiae Tuae objici possunt, Tibi reliquendum animadversionibusque meis haud coercendum esse duxi. Quod si arctissimum istud commercium, quod unicuique hominum cum ange o quodam tutelari intercedere contendis, non in mero nexu cosmologico constitit. Genios nostros nobis, pro ipsorum existentia pugnantibus, adfuturos adlaboraturosque, ne

victoria

victoria nobis eripiatur, spero. Possem hic, Nobilissime Respondens, de morum  
Tuorum honestate, de modestia, sedulitate, industria, proficiendi ardore, con-  
cionandi & disputandi peritia aliisque, quibus prædictus es, dotibus  
egregiis, bene multa commenorare, si testimonio & laudatione mea in-  
digeres. Sed cum Te talem, qualem esse dixi, publice privatimque satis appro-  
baueris, nihil nunc superest, quam ut Tibi novam hanc progreßum factorum  
testificationem Genioque Tuo talem gratuler aluminum. Deum Optimum Ma-  
ximum enixe rogo, ut Te viribus animæ & corporis florentiæ diu servet, con-  
filia & studia Tua secundet eaque Ecclesia & literis utilia esse jubeat. Ita  
Vale, Nobilissime Respondens, Tibique persuade, omnia, que fortunam Tuam  
auebunt, incrementa, maxime mihi voluptati futura esse. Dabam in Acad. Via-  
drina d. VI. April. MDCCCLIV.

## PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO

RESPONDENTI

S. P. D.

IOANNES CHRISTOPHORUS SCHULZIUS

Francofurto Meso[march]ius Phil. & Theol. Candidatus.

Specimen eruditio[n]is Tuæ singularis, Amice suavissime, in vulgus Te edente,  
amicitia, quæ nos intercedit mutua, omnino postulat, ut Tibi cathedram dis-  
putatoriam adl[ect]endam, ex intimo animi affectu felices studiorum Tuorum pro-  
gressus gratuler. Iam ardua doctrinæ de existentia Genii defensionem suscips,  
quæ cum pluribus doctrinæ sanctioris articulis plane cohæret. Unusquisque et-  
iam statim videt, disputationem Tuam magna diligentia conscriptam esse, & au-  
torem requirere in scientiis theologicis ac philosophicis versatissimum. Nolo ergo  
rubore vultum Tuum suffundere, & laudibus propter egregium profectum  
Tuorum specimen iam editum Te ornare. Id potius opto, ut quæ tacita pro  
Te pectori concepi vota, summum Numen rata esse iubeat, Teque in spem pa-  
tria, Ecclesiae nec non familiæ nobilissimæ; Tuosque conatus omnes propitius  
secundet, neque minus Te ad ultimum vitæ finem, sapientia, bonitate, poten-  
tia tua dirigat. Mihi vero, ut in posterum Tuam couerves amicitiam etiam  
atque etiam abs Te peto. Dedi Francofurti d. III. April. MDCCCLIV.

Freund! zu deinem Ehrentage

Der uns dein Verdienst entwickelt,  
Der uns deinen Geist entdecket,  
Der uns in Verwundung setzt;  
Freund! zu diesem frohen Tage  
Und zu diesem schönen Geiste,  
Und der Ehre, die dir lohnet,  
Zu dem allen las den Glückwunsch  
Dweener Brüder Dir gesellen!  
Glaube, daß ihr Herz ihn denkt,  
So, wie du ihn test verdienest,  
Und daß es der Himmel höret,  
Wenn für Freunde, Freunde baten.

G. G. Kindfleisch Opponens

G. D. Kindfleisch  
der Wissenschaften Besiegene.

**F**reundschaft, Ehrengut, Treu und Liebe,  
Deren Macht mein Herz gerühret,  
Haben dir aus reinem Triebe,  
Freund! die Denkmahl aufgesetzt;  
Kan mein Geist das wahre Leben,  
Das der Dichtkunst eigen bleibt,  
Gleich nicht jedem Ausdruck geben,  
D so weiss Du doch, mein Freund, das die  
Mag dich doch der Neid verlachen,  
Mögen Tadler sich bemühen,  
Deine Arbeit klein zu machen,  
Ihren Werth ihr zu entziehn.  
Kenner werden Dich stets loben,  
Kenner werden Dich erhöhn;  
Und auf diese seltnen Proben  
Deiner großen Wissenschaft, stets, vergnügt  
zurücke sehn.

**D**u schwingst Dich mit schnellem Fluge,  
Dorthin, wo die Tugend thront,  
Welche Dich, wie alle Kluge,  
Sitzt mit wahren Ehre lohnt.  
Jene, Weisheit, deren Höhen,  
Nur ein edler Geist erlangt,  
Lässt jetzt schon an dir sehen  
Was für Volllust der empfindt, der mit ihrem  
Glanze prangt.  
Billig freuen wir uns beide,  
Billig freu ich mich, wie Du,  
Billig ruf ich vorler Freude,  
Dir, die treusten Wünsche zu.  
Wünsche, Zeugen meiner Liebe  
Zeugen meiner Fürchtlichkeit,  
Welche Dir aus lautern Triebe  
Meine Freundschaftsvolle Brust auch noch  
in Geheim ernent.

### 1. HORMEAUX Opponens.

Las mich, würdiger Freund, dein Schicksal denken und fülen,  
Das die göttliche Freundschaft, die Erstgebohrne der Tugend,  
Stolz auf dich und dein Herz, mir, meine Wünsche erhörend,  
Dichtisch verkündigt!

Überm Kriechenden Schwarm zu irdscher Alstergebührn,  
Der, mit niedrigem Trieb, im Staube, pochend, herum hüpfst,  
Schwingst du dort dich empor. Von edlem Neide begeistert  
Siehest du vor dir

Zenen Sohn des Apolls, mit ungewöhnlichem Fluge,  
Früh dem Lehrstuhl geheiligt, fröh vom Fleise geleitet,  
Fröh den Tempel der Musen, glänzend, gleich seinen Brüdern,  
Ihm nur nachahmend, lachst du ienes gaukelnden Schwarmes,  
Der, durch blendweck behöfft, im Schlamme wühlend, noch jörgert.

Fliegst hoch über ihn weg, gleich mutig, hin bis zum Altar,  
Früchte zu opfern.  
Und die Tugend, die göttliche Schöne, die Zierde des Tempels,

Schreibt den Lohn deines Opfers, dem blöden Pöbel unsichtbar,  
Mit dem ewigen Griffel, in iene Bücher des Nachruhms;

Zu den Namen der edlen, die sich ihr und den Mäjen,  
Langst schon geheiligt und eben so lange den Lohn der Verdienste  
Gros in sich selbst, in eigner göttlich schönen Empfindung,

Fühlen und nähren.  
Freund! da siehet dein Name! Frei vom Wechsel des irdschen,  
Blüht dein inneres Glück, der weisen Säigkeit ewig.

Ich bewundre dich, wie deine Kenner. Mehr, als dein Freund, noch,  
Fühl ich dein Schicksal.  
Dis schrieb dem Verfasser  
Kump Opponens.





AB: 155064 (1)




56.

R

VDI7





am 37

DISSERTATIO PERIODICA  
EAQUE  
PHILOSOPHICO-THEOLOGICA  
DE  
EXISTENTIA GENII  
QUAM  
SUB PRAESIDIO  
*VIRI SUMME REVERENDI*  
IOANNIS ISAACI LUDOVICI CAUSSE  
S. S. THEOL. DOCT. EIUSDEMQUE P. P.  
H. L. Q. C.  
DEFENDET  
AUCTOR  
AUGUSTUS ERNESTUS RENTHE  
COTHENIO-ANHALTINUS



FRANCOFURTI AD VIADRUM d. April. MDCCCLIV.

TYPIS SIGISM. GABRIEL. ALEX.

